ALLOCUTIO

HABITA

IN COMITIIS PROVINCIAE REGNI NEAPOLITANI

O. P.

ANNI 1774.

A F.

VINCENTIO GREGORIO LAVAZZOLI

EJUSDEM ORDINIS.



QUanquam frequens conſpectus veſter, digniſſime Praeſul, humaniſſimi, doctiſſimique Patres, ita me a dicendo magnoperè deterreat, ut hujus auctoritatem loci contingere minime auſim, cum ſtatuerem praeſertim, nihil huc niſi perfectum ingenio, induſtria elaboratum afferri oportere, animoque reperterem locum hunc nunquam ab iis vacuum fuiſſe, qui ingenii viribus, dicendique copia maxime praeſtarent, tamen ut tibi, optime Praeſul obſequar, cujus mandata maximi facio, tantam ad dicendum facultatem, quantam mediocris exercitatio mihi attulit, hic vobis oſtendere conabor. Nec tamen aegre id oneris mihi ferendum, immo magnopere laetandum videor, cum de illius electione verba facturus ſim, qui Provinciae noſtrae clavum tenere, quique fortitudine, conſtantia, pietate, ſuo denique exemplo ad S. P. Dominici regulas apprime obſervandas facem nobis debeat praeferre. Quod ut exequar oro obteſtorque mihi animum benignum intendatis.

Illud apud omnes inconfeſſo eſt, reſpublicas, conventus, & ſocietates felicitatis culmina tunc pertingere, ac ſibimet ſemper conſtare, cum qui illarum obtinuerint principatum, juſtitia, honeſtate, temperantia, ac omnibus virtutibus, quas morum Doctrina oſtendit, praediti fuerint. Jure igitur Pater Philoſophorum contendebat, illas omnes reſpublicas minimè duraturas eſſe, quae nec a Philoſopho, nec ab eo, qui Philoſophiae praecepta didicerit, illiſque in agendo ſemper uſus fuerit, regerentur. Et re quidem vera, quidnam nos in adverſis fortes eſſe, quidnam in ſecundis aequam ſervare mentem cogit, quid unicuique ſuum tribuere, quidnam ad honeſtatis, atque gloriae iter recto tramite nos trahit, niſi Philoſophia? Quae omnia homini privato ad caſte integreque vivendum cum utilia ſint, illi certè, qui tanta dignitate alios

præcellit, ut eos regere debeat, sunt maxime necessaria. Etsi autem haec satis superque sint, ut Cives in Republica bene, feliciterque vivant, qui tamen Deo vocante, ita in peculiares societates coaluere, ut sublimiorem vivendi rationem profiterentur; aliis, quae supra naturam sunt, debent excellere virtutibus, & ad Evangelicae perfectionis assecutionem toto animo contendere. Atque haec est sublimis illa Christianae Religionis Philosophia Ethnicis incognita, quae nedum ad cognitionem, sed ad flagrantissimum virtutis amorem homines incendit.

Mirum igitur cuiquam esse haud debet, si noster Ordo, qui primum in hac Provincia radices egit, sublimibus hujus *Christianae Philosophiae* ortus auspiciis, adeo per illam creverit, ut iam totius Regni Provincias ab ipso occupatas esse videamus (1). Provincia siquidem O. P. Regni Neapolitani in sinu Romanae Provinciae genita, inter eas quas Patriarcha Dominicus Bononiae in Comitiis generalibus anno 1221. habitis erexit, quintum praesеferebat locum. At cum postea anno 1294. Pontificis Cœlestini V., & Regis Caroli II. Andegavensis nutibus a Romana Provincia fuerit sejuncta, Sexta evasit; quae alto habita decore, praesertim quia CORPORIS

(1) Provincia Trinacriae habet	Coenobia	67.
Apuliae	Coenobia	66.
Calabriae	Coenobia	65.
Aprutii	Coenobia	27.
Congregatio S.Mariae Sanitatis	Coenobia	15.
S.Marci de Cavotis	Coenobia	15.
Provincia nostra Regni habet	Coenobia	36.

Anno 1417. divisa fuit a Provincia Trinacriae.

Anno 1530. a provinciis Apuliae, & Calabriae.

Anno 1546. a provincia Aprutina.

Congregatio S. Mariae Sanitatis erecta fuit anno 1577. Et anno 1725. divisa omnino fuit a nostra Provincia.

Congregatio S. Marci Cavot. instituta fuit anno 1626.

RIS CHRISTI VEXILLO munita eſt, (1) ſuis ſemper geſtis praefulſiſſe videtur. Nam cum primum invitante Friderico II., (2) & deinde Pontificia Gregorii IX. expeditione Neapolim advenit, (3) quot haereticorum zizanias non eradicavit? Quos labores ſui alumni Thomas Agnus de Leontino, & Joannes de S. Juliano, eorumque ſocii pro Chriſto non pertulerunt? Quæ tandem THOMAS DE AQUINO, aliique non geſſerunt, qui tamquam veri Gedeones verbi Dei gladio muniti, regna, & provincias undique peragrarunt, Evangelicam doctrinam promulgarunt; nec ſolum Regni Neapolitani, verum totius Orbis terrarum populos ad fidem excitarunt, atque in illa validè confirmarunt?

Sed quo ducor, quove oratio mea prolabitur! Convertite quaeſo oculos ad omnes Heroas tam ſanctitate, quam vir-

(1) Sigillo exprimente CORPUS XPI inſignitur Provincia Regni, quia S. Thomas ejuſdem Provinciae decus, Officium de Chriſti Corpore compoſuit.

(2) Pro eo, quod ſpectat ad Fridericum II., qui Dominicanos vocavit, ut Theologiam Neapoli docerent, videantur Giannone Iſtor. Civile lib. 16. c. 3., & Jo: Bern. Tafuri tomo 2. de Script.

(3) Notandum Concilium Chalcedonenſe act. 15. can. 4. dum ait: *Viſum eſt, nullum uſquam ædificare, nec coſtruere poſſe monaſterium, vel oratoriam domum, praeter ſententiam ipſius Civitatis Epiſcopi*. Ita in edit. Florentiae 1762. tomo 7. fol. 359., & fol. 416. ejuſdem editionis legitur: *Neque Fratres una congregentur ſine praecepto Epiſcopi, & permiſſione ejus*. Sententia autem, Praeceptum, & Permiſſio PETRI Archiepiſcopi Neapolitani anno 1231., ut Dominicani haberent Neapoli Monaſterium, legitur apud Chioccarellum de Antiſtitibus Neapolitanis in PETRO Archiep. fol. 156. 157. &c. Et apud Abb. Ughellium Ital. Sacr. edit. Coleti tom. 6. & Lubin Abbat. Ital. fol. 253. in Abbat. S. Archangeli de Morſiſa. Sparano Memorie Tomo I. fol. 208.

virtute insignes, qnos nostra Provincia sinu suo enutrivit. In hac siquidem Provincia Reginaldum Privernatem, Anonymum Hydruntinum, Petrum de Capua, Germanum de Aversa, ac quamplurimos alios admiremur, qui propositi tenaces, tirannorum minas contemnentes, pro Christi fide propaganda, firmandave suum sanguinem effuderunt. In hac Provincia admiremur Confessores Joannem de Salerno, Nicolaum de Juvenatio, Reginaldum D. Thomae socium, Joannem de Neapoli, Jacobum, & Dominicum Casertanos, Raymundum de Vineis, Robertum Neapolitanum, Ambrosium de Aversa, Jacobum Suessanum, ac caeteros, (1) quorum seriem hic frustra pertexere conarer; eorumque Acta sincera, Deo bene favente, & Amicis opem ferentibus, longius, atque uberius in lucem producam.

Quid verò de Viris sapientia praestantibus referam, cum Toppius in sua Bibliotheca Neapolitana ad annum usque 1678. centum nonaginta novem Scriptores Dominicanos nostrae Provinciae Alumnos enumeret? Quibus omnibus Jacobus Echardus, & Pius Thomas Milante quamplurimos alios addunt, qui ad hæc usque tempora virtutis fama floruerunt. Neque vero in hac Provincia defuere, qui honoribus, ac dignitatibus nostrum Ordinem condecorarent: (2) Nam, ut Archiepiscopos omnes, Episcopos inuumeros, Vicarios, Procuratores Ordinis, & alios qui Regibus a consiliis, a sacris, & a confessionibus fuere, atque non paucos hujusce almae Civitatis florentissimae Academiae Professores, & Doctores silentio praeteream, habemus Nicolaum Caracciolum, & Thomam

(1) Guidum Marramaldo, Hieronimum de Monopoli, Ambrosium Salvio, Michaelem Torres, Aloysium de Aquino, Ludovicum, & Alphonsum de Magdalono, Joannem de Altamura, Andream de S. Severino, Josephum Conte de Baln eolo, Thomam Ruffo, Ludovicum Fiorillo &c.

(2) De his agunt Valle in Compendio &c. Cavalerius in Pinacotheca. Adsunt etiam ipsorum elogia in Claustris Reg. Coenobii S. Dominici Majoris.

mam de Vio Cajetanum, qui ſuis meritis Cardinalatus culmen attigerunt.

Videte igitur, quo tandem hanc Provinciam virtus, & ſapientia ſuorum alumnorum evexerit: Cujus ſplendorem nec invidus dens, nec torvus oculus pluribus ab hinc ſaeculis unquam decerpere potuit.

Nec tamen me morantur, quae a detractoribus noſtri nominis impudenter, & falſo objici ſolent: Contumelioſe nimirum a Friderico II. anno 1240. expulſos fuiſſe ab hoc Regno Dominicanos: Et Petrum de Vineis ſatis de noſtro Ordine conqueſtum, quia ejus alumni *duas*, ut ipſe ait, *novas fraternitates creaverunt, ad quas ſic generaliter mares, & fœminas receperunt, quod vix unus, & una remanſit, cujus nomen in altera non ſit ſcriptum* . . . . Verum ad primum quod attinet, tantum abeſt, ut maledici illi noſtro officiant Ordini, ut potius noſtri Regni, noſtraeque praeſertim Provinciae alumnis famam, aeternamque gloriam addant. Siquidem ex Hiſtoricis omnibus, qui Friderici geſta narrarunt, habemus, hoc Imperatoris edictum contra exteros, ac eos omnes, qui ſuo dominatui ſubditi minime erant, ſecus vero in Regnicolas ſancitum fuiſſe; quod praeter alios Riccardus à S. Germano ſic verba faciens teſtatur: *Relictis fratribus, qui eſſent de Regno nativi in ſingulis quibuſque eorum domibus* (1) *ad cuſtodiam earundem*. Ex his igitur eruitur ipſos adverſarios, vel Hiſtoricis nunquam inſudaſſe, vel nubem pro Helena nobis obtrudere voluiſſe. Et revera S. THOMAS AQVINAS anno 1243., regnante adhuc Friderico II., Neapoli Ordini Praedicatorum nomen dedit: Et circa idem tempus varia Diplomata pro Dominicanis proferuntur a Chioccarellio, aliiſque.

Alteri vero, cum leviuſculum ſit, nihil addam, niſi Petrum de Vineis in ſua Epiſtola topographicè deſcribere ROSARII, & Crucis S. Franciſci Sodalitates jam tunc temporis adeo florentiſſimas, ut omnis ſexus, ac omnis aetas in

(1) Frant tunc Coenobia 22. in utraq; Sicilia: Unde extabant ſaltem 42. Dominicani de Regno nativi.

in ipsas cooptari enixe contenderet. (2)

Quae cum ita sint, Patres, quidnam hic agendum sit considerate. Agitur enim de Praeside nostrae Provinciae eligendo, a quo uno gloria omnis, quam Majores nostri tradiderunt, pendet. Videte igitur, ut sicuti illis pulcherrimum fuit tantam gloriam vobis relinquere, ita vobis summo honori sit illam, quam accepistis, sin minus augere, tueri saltem, ac conservare. Qua de re illum plenis suffragiis eligite, qui probitate, doctrina, & consilio nostri Ordinis splendorem omni studio tueatur. Illum quaeso eligite, quo Duce, & Auspice nil detractorum insidiae, nil calumniae illorum, qui huic luci nubem offundere conantur, officere possint: Ac denique innumera, & opportuna Angelici nostri Praeceptoris monita (3) in hac Electione magis magisque animo revolvatis obtestor: *Eligatur Vir*, (quemadmodum magnus ajebat Gregorius) *qui sit secundum cor Dei, ut per affectum magni amoris unitus sit Divinae Voluntati. Eligatur Dux, qui sublimiatis ordinem conscendere ex cupiditate non ambiat, sed ex humilitate pertimescat.*

---

(2) Moniglia de Origine ROSARII cap. IV. aliique.
(3) S. Thomas quodlibet: 8. a 6. Et quodlibet: 4. art. 23. ad 12. Et quodlibet: 6. a 9. Et quodlibet: 4. a 15. Et 2. 2. q. 63. a 2. in C.